



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

81. Vtrum Episcopus successor possit revocare approbationes Religiosoru[m] à suo prædecessore concessas? Et an ab eodem tamen Episcopo, si prævio examine fuerint Religiosi approbati, novo examini ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

liter non loquitur? Ex part. 3. tractat. 2. Resol. 27.

Sup. hoc latè  
in Ref. seq.  
& sup. Ref.  
77 §. vii. &  
in Ref. 78. §.  
2. in lin. vii.  
& §. seq.

§. 1. **H**anc questionem diffusè pertractat Sani-  
cius in *select. disp.* 48. per totam, affirmati-  
uam sententiam mordicus tenet quam etiam ego te-  
neo, & tenent Riccus in *praxi tom. 4. resol. 70. num. 5.*  
Zanardus in *direct. Theol. per. 1. de sacrament. Pœnitent.*  
*cap. 24. §. 4.* Fagundez *præcept. 2. lib. 7. capite 2.*  
*numero 30.* Miranda in *manuali Pralat. tom. 1. quest.*  
*45. art. 7.* Campanili *diuers. iur. can. rub. 12. cap. 13. n.*  
*70.* & alij adducentes constitutionem Pij V. & declara-  
tionem Cardinalium.

2. Sed hanc sententiam non ita absolute esse in-  
telligendam tenet Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 9.*  
*diff. 53. num. 5.* vbi sic asserit. [El Obispo, que aprobo  
vna vez al Religioso para confellar, no le puede quit-  
tar la licentia ni el capitulo sede vacante, por que  
no le da ella iurisdiccion sino el Papa, ni le pueden bol-  
uer examinar, mas podrale examinar el Obispo suc-  
cessor pro maiori conscientia sua quiete, que es  
quando fuere necesario para la seguridad de su con-  
cientia conforme à vna Bula de Pio V. y lo decla-  
ran assi los Cardenales, y dizen, que no esta esto re-  
uocado por la Bula de Gregorio XIII. que endereza  
esta, y otras à los terminos del derecho comun, y  
assi se pratico en Roma. Esta permission es para que,  
quando los Obispos entran de nueuo stuuieren in-  
formados, que algun particular no tiene la suficien-  
cia deuida, le pueden mandar examinar de nueuo,  
Mas no se entiende por esto, que pueden reuocar ge-  
neralmente las licencias de todos los Religiosos ad-  
nutum, y mandar, que se bueluan à examinar de  
nueuo, que esto no lo pueden hazer, como han di-  
cho personas may dotas, que han sido consultados  
à cerca desto. ] Ita ille & post illum Alphonsus Car-  
ranza, qui in fauorem Regularium contra Archiepis-  
copum Toletanum edidit quoddam pulchrum consi-  
lium, lingua Hispanica conscriptum, quod omnino  
legendum est. Vide etiam aliud consilium impressum  
Barcinonæ anno 1618. in fine explicationis Bullæ  
Cruciatæ Emanuelis Rodriguez. & subscriptum à 29.  
Doctores, qui ex multis rationibus firman senten-  
tiam in fauorem Regularium. Sed praxis Episcoporum  
est contra Regulares. Vide etiam Becanum *de*  
*Sacram. cap. 18. §. 1. num. 4.* & Henriquez *lib. 3. cap. 6.*  
*num. 5. & 6.* Ioan. de la Cruz *de statu Relig. lib. 2. ca-*  
*pite 6. dub. 4. conel. 4.* Vasquez in *3. part. tom. 4. q. 93.*  
*artic. 3. dub. 5.* Ledesinam *summ. tom. 1. de sacra-*  
*ment. Pœnit. cap. 13.* Lopez in *instrucl. part. 2. cap. 8.*  
& Nouarium in *conclusionibus noui iuris Pontificij,*  
*conclus. 69. n. 3.*

Sup. hoc inf  
in Ref. 81. &  
sup. in Ref.  
63. §. A esto  
mesmo, &  
seqq. & in  
tom. 3. tr. 5.  
Ref. 33.

3. Notandum est tamen hic obiter quod quam-  
uis DD. citati asserant, id fieri posse ab Episcopo suc-  
cessore, & compelli, vt Regulares iterum præsen-  
tentur, vt si opus fuerit, examinentur, & approben-  
tur. Negamus tamen id fieri posse à Capitulo Sede  
vacante, vt patet per priuilegium particulare Clem.  
IV. & docet Miranda in *man. Pralat. tom. 1. quest. 45.*  
*art. 7. ad finem,* & Fagundez *prac. 2. lib. 7. cap. 2. nu-*  
*mero 28.* qui etiam *num. 30.* & optime notat, quod  
si nouus Episcopus reuocet omnes licentias, & ap-  
probationes audiendi confessiones, non comprehen-  
duntur Regulares, quando de illis specialiter edictum  
non loquitur; & ita etiam docet Henriquez *lib. 3. de*  
*Pœnit. c. 6. n. 6.* quia in odiosis Regulares non compre-  
henduntur, nisi explicentur.

## RESOL. LXXXI.

*Vtrum Episcopus successor possit reuocare approbationes  
Religiosorum à suo prædecessore concessas?*

*Et an ab eodem tamen Episcopo, si præuio examine fue-  
rint Religiosi approbati, nouo examini subiecti non  
possint?*

*Et inferitur nullius particularis Religiosi approbationem  
suspendi posse à Pralato, à quo fuit concessa, tamen si  
non præuio examine concessa fuerit, nisi prius in par-  
ticulari causa noua, & legitima suspensionis præ-  
bata fuerit.*

*Et notatur non posse Episcopos non admittere Regulares  
ad confessiones audiendas ex eo tantum, quod non sint  
necessary rot Confessary in sua Diocesi, &c. Exp. 1. 1.  
tr. 8. & Misc. 8. Ref. 52.*

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Castrus Palauus *tom. 4. Sup. hoc  
tract. 23. per not. 19. numero tertio, cum seq.* Respon-  
dentibus, vbi post multa sic ait: Cæterum omnino  
dicendum est à successore reuocari dictam approba-  
tionem posse, vt supponitur à Pio Quinto in quo-  
dam motu proprio edito anno 1571. incipiente *Roma-  
ni Pontificis,* ibi enim conceditur Episcopis vt  
possint Religiosos omnes à se non approbatos præ-  
uio examine præcedente examinare. Ex qua concec-  
sione manifestè inferitur, illis concedi reuocare ap-  
probationem posse, si factò examine indignos ap-  
probatione inuenerint: aliàs frustra examini subiec-  
rentur. Ex quo manifestè inferitur expleta approba-  
tione non finiti ordinationem legationum; sed in  
ipsis eorumque successoribus continuari vt causa in-  
sta exigente suspendere, vel mutare approbationem  
possint.

2. Ab eodem autem Episcopo si præuio examine  
fuerint Religiosi approbati, nouo examini subiecti  
non possunt: & consequenter nequit Episcopus eorum  
approbationem suspendere, aut aliquo modo reuo-  
care. Sic expressè conceditur à Pio Quinto in dicto  
motu proprio, qui non est reuocatus per Gregorium  
XIII. vt ex declaratione Cardinalium testatur Bar-  
bosa, Fagund. Suar. & alij supra. Notanter dixi præ-  
uio examine: nam si nullo examine præcedente ali-  
quem Regularem Episcopus approbauerit poterit  
examini subiecti: quia ex nullo priuilegio contra-  
rium videtur cautum, vt aduertit Suar. 4. *de pœ-  
nit. disp. 28. scil. 8. num. 5.* Fag. *disc. lib. 7. capite 2.*  
*num. 27.*

3. Ad extremum notandum est, Sacram Cardina-  
lium Congregationem decreuisse 20. Nouembriis an-  
ni 1615. pro vt refert Barbosa *allegat. 25. num. 30.* ne  
Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum ordina-  
riis, ad quos confessarios approbandi ius spectat,  
confessarios regulares alias ab ipsis liberè approbatos  
ab audiendis confessionibus suspendere post hac li-  
ceat, nisi ex noua causa, eaque ad confessiones per-  
tinente, aut ob non seruatum Interdictum ab ipsis  
Ordinariis positum. Insuperque ne confessiones au-  
diendi facultatem omnibus simul vnius Contentus  
Regularibus confessariis eadem Sacra Congregatio-  
ne inconsulta adimere possint. Ex quo decreto vide-  
tur inferri non posse iam locorum Ordinarios gene-  
rali suo edicto Religiosis omnibus approbationem  
suspendere, nisi denuo examinentur: quia ex hoc ge-  
nerali decreto omnibus confessariis Contentus simul  
licentia adempta esset. Deinde inferitur nullius par-  
ticularis Religiosi approbationem suspendi posse ab  
eo Pralato, à quo fuit concessa, tamen si præuio ex-  
amine concessa non fuerit, nisi prius in particulari  
causa

causa noua legitima suspensionis cognita, & probata fuerit: quod est conforme doctrinae Henrici, lib. 3. de poenitent. cap. 6. §. 6. à successore autem videtur suspendi posse. Tum, ne dicamus motum Pij Quinti reuocari hoc Congregationis decreto. Tum quia hoc decretum manifeste insinuat de ipsis concedentibus approbationem loqui, non de successoribus, vt colligitur ex verbis, alias ab ipsis liberè approbatos. Hucusque Palaus. Vide etiam Amicum in *cons. Theol. tom. 8. disput. 15. sect. 3. numer. 134. & 136. & 137.*

4. Sed nouissimè negatiuam sententiam mordicus sustinet Pater Dicaftillus de *Sacram. tom. 2. tract. 8. disputat. decima, dub. 11. cum sequenti*, vbi post adductum motum Pij Quinti superius à Castro Palao alatum, sic asserit *num. 310* Asserendum nihilominus est huiusmodi motum Pij Quinti reuocatum fuisse à Gregorio XIII. anno primo sui Pontificatus, in constitutione, quæ incipit, *In tanta negotiorum mole*, in qua reducti omnes dispositiones Pij Quinti erga Regularium confessiones ad terminum iuris communis, & Concilij Tridentini. Quam constitutionem Gregorius refert Nauarrus in *summa Latina in fine*, errantque toto cælo Henrici & alij, dum per occasionem in Nauarro decepti sunt, existimantes illum dicere eam constitutionem non fuisse publicatam; neque enim Nauarrus id dicit de illa ipsa Constitutione; sed de alia quadam Bulla eiusdem Pij Quinti, vt constat ex citatis ad marginem in fine suae Summæ.

5. Porro esse reuocatum prædictum motum Pij Quinti à Gregorio XIII. in prædicta bulla *In tanta negotiorum*, apertissimè constat in ipsa bulla; nam recitatis primo, & secundo motu proprio Pij V. circa regularium approbationem quoad confessiones, cum aliis multis quæ in eis decreuit Pius, sic loquitur Gregorius. Nos hac varietate cognita statim de prædictis, & omnibus aliis litteris, & constitutionibus, quæ ab eodem prædecessore eis de rebus pro quibuscumque Regularium Ordinibus quomodolibet emanauerint, ac omnibus, & quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem ac decisionem pro subiecta materia futuram esse, quæ siue ex iure veri, siue facris dicti Concilij decretis, siue alias legitime antedictarum litterarum erat. Ad quam dispositionem illa omnia reducimus. Hactenus Pontifex. Standum ergo est verbis Concilij Tridentini, & eius legitime interpretationi seclusa declaratione Pij V. ac si nunquam emanarit à Pontifice; vt ibidem dicit Gregorius XIII. atque ita docet Vasquez infra referendus cum multis alijs.

6. Nec illius declarationis, seu decreti Congregationis habetur authentica notitia, vt opus erat, maxime cum sæpè soleant esse, vt notabimus *dub. 9.* non semel, præsertim *num. 254.* circa eandem difficultatem declarationis Congregationis illius, non solum inter se diuersæ, sed aduersæ: atque in hoc ipso negotio ita contingit teste Suariorum *disput. 28.* qui dum de hac re *disput. 8. assert. 1.* refert esse quandam declarationem Cardinalium *num. 664.* in qua generaliter statuitur semel promotum ab Episcopo, non posse iterum ad examen vocari, nisi causa noua sit orta. Accedit quod multi opinantur satis probabiliter, huiusmodi declarationes non obligare in foro interno, nec externo, nisi vel publicentur sicut leges ipse, vel per modum sententiæ definitiue dentur, quamuis sint magnæ auctoritatis, & iuxta illas possit Iudex sapiens definire, perinde atque iuxta interpretationes, & declarationes Sapientum. Qua in re quid cum alijs dixerim, vide, si placet, supradictatum *num. 254.* & duos sequentes. Verum autem, &

legitimum sensum illius declarationis Cardinalium postea subiiciemus, ostendentes etiam posita illa declaratione, Ordinarium non posse iterum examinare Regularium semel approbatum solo suo arbitrio, & mera voluntate.

7. Habemus igitur dispositionem solius Concilij Tridentini *sess. illa 23. c. 15. de Reform.* seruandam esse, & iuxta illam, & præcedentia antiqua iura in hac materia esse decidendam: sed in tali decreto, aut alijs iuribus non præcipitur, vt semel idoneus, & approbatus ab Episcopo in aliqua Diocesi, iterum ab eodem vel à successore approbetur, vel possit iterum examinari reuocata priori licentia, nec distinguit de eodem, vel de successore, atque adeo si idem qui approbavit non potest iterum: nec potest successor: ergo absque fundamento extenditur ea facultas.

8. Vnde Vasquez de poenitent. *quest. 93. art. 3. dubio 5.* cum retulisset renouationem factam à Gregorio illius Constitutionis Pij Quinti atque ad id dicendum esse secundum ius commune existimo non esse in Religiosis plus, quam vnicam approbationem in quacumque Diocesi. & ita memini me legisse in originali Bullæ Cruciatæ concessæ Regni Hispaniæ, concedi Priuilegium suscipienti eligendi Confessarium, quem velit ex approbatis sæculares aut Religiosum, & de Religiosis (inquit) saltem semel approbatum. In quo existimo noluisse Pontificem nouum inducere priuilegium circa approbationem, sed quod iure communi licitum erat, aut statutum circa approbationem, illud in priuilegio expressit obseruandum. Et ratio est, quoniam cum Episcopus semel approbauerit Religiosum, iam ille iure censetur idoneus, & ipsi ab Episcopo iurisdicatio impediri non potest. Vnde nec reuocari approbatio. Hactenus Vasquez.

9. Quod si dicas etiam Religiosis dari iurisdictionem à Pontifice dependentem ab approbatione Episcoporum, facile admiserim: sed ab approbatione in fieri, aut semel danda, non tamen ab approbatione dependente non solum in fieri, sed in conseruari: id enim sine fundamento dicitur, & esset probandum ab Ordinario aliqua idonea ratione, vel Textu: nec sufficit quod ipse Ordinarius sic intelligat; quia ipsi non est tanquam iudici, aut Superiori data facultas interpretandi Concilium: nostra verò expositio & verbis, & iuri, & rationi, & consuetudini Pontificum conformis est iuxta dicta, & constat ex tenore Bullæ Cruciatæ Latinæ, quam ego quoque non semel legi, & expendi.

10. Verba autem Bullæ Cruciatæ Gregorij XIII. anno 1573. die 10. Iulij, sic habet: Possint eligere Confessorem sæcularum, vel cuiuscumque etiam Mendicantium ordinis Regularem ex iis, qui ab Ordinario, & quoad Regulares semel tantum approbati fuerint. Cui priuilegio Bullæ Cruciatæ non potuit derogari per Pium Quintum citatum, nec per Tridentinum, cum ambo præcesserint. Postea verò per alios Pontifices successiue huiusmodi priuilegium confirmatum, & prorogatum fuit, cuius prorogationis facta mihi constat vsque ad Paulum Quintum; quid autem fecerint postea Gregorius Decimus Quintus, & Urbanus VIII. legisse mihi non contigit. Crediderim tamen non minus fuisse indulgentes, nec restrinxisse verba Bullæ suorum Prædecessorum. Hæc Dicaftillus.

11. Qui postea *num. 321.* ita subdit: Iam licet concedamus, quod Ordinarius volebat Bullam scilicet, Pij Quinti iuxta declarationem illam Cardinalium asserentium eam non esse reuocandam per Greg. XIII. vim suam habere, atque adeo posse semel approbatum,

tum, rursus examinari à successore pro suæ conscientie quiete ( vt loquitur Pius V. ) nihilominus existimo cum Henriquez *supr. de penit. litter. S.* tantum intelligendam esse in particulari casu erga istum, aut illum causa cognita, & probata; quia in genere & vniuersaliter non licet dubitare de idoneitate Regularium ex vno, aut alio minus idoneo: nec sanè æquum: sed satis exorbitans est, omnes alios bene meritos velle molestare, aut vexare. Inuigilet, si velit Ordinarius, aut inspiciat an aliquis sit minus idoneus, vel publicè si velit, per edictum aut per Notarium in visitatione, aut extra per viam Inquisitionis generalis inquirat an aliquis querelam habeat de sufficientia alicuius Confessarij, admitatque rumores, & denuntiationes, si de aliquo fortè sint in ea materia, & tunc causa cognita, & probata rursus examinet, & approbet vel reprobet iuxta ea, quæ inuenierit in tali examine.

12. Ita habetur in noua declaratione, seu decreto Congregationis Romæ 20. die Nouëbris ann. 1615, in qua Eminentiissimi Domini Cardinales enarratis scandalis, quæ ex opposito modo procedendi sequuntur, statuant ac decernunt Ordinariis, ad quos ius approbandi spectat, Confessarios alias ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere post hac minimè licere; nisi ex noua causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non seruatum Interdictum ab ipsis Ordinariis positum. Statuunt insuper, eosdem Ordinarios Confessiones audiendi facultatem, omnibus simul vnius Conuentus Regularibus Confessariis eadem Sacra Congregatione inconsculta, nullo pacto adimere posse: Quod quidem decretum, vt iidem Eminentiissimi Patres opportunum & necessarium duxerunt, ita inuolubiler iubent obseruari. De quo decreto non potest dubitari, cum authentica de illo habeatur relatio in scriptis non solum Romæ; sed apud multas Religiosas familias, vt vel inde appareat, quam immeritò post aliquot annos suborta fuerit contentio vnius, aut alterius Ordinarij cum Religionibus incognita causa reuocantis generali quadam reuocatione approbationes iam semel ritè habitas.

13. Expendendum verò est, in eo Decreto & declaratione non distingui inter approbantem Ordinarium, & successorem; est enim eadem ratio, & neuter potest aliquid erga Regulares in hac materia, nisi cognita causa; sed quia regulariter Successor, qui non existimauit, nec approbavit Regularem iam approbatum, si ex vno capite ignoret sufficientiam illius, & ex alio oborta fuerit aliqua considerabilis suspicio, poterit causa cognita & probata circa sufficientiam ad suæ conscientie quietem, illum iterum examinare. Hucusque Dicastillus.

14. Et hanc sententiam præter Vasquez, Villalobos, & alios, tenet etiam nouissimè Leander de Sacrament. tom. 1. tract. 5. disp. 11. quæst. 91. vbi me citat pro affirmatiua sententia, sed licet illam ego olim docturim, & ab ipsa nunc neque recedam, tamen optarem Sacram Congregationem ad tollendas controuersias inter Ordinarios, & Religiosos, stantibus adductis à Dicastillo, vbi supra, hanc difficultatem declarare.

15. Nota hæc obiter, Dicastillum ex Vasquez docere vbi supra, n. 31. & dub. 10. num. 298. non posse Episcopos non admittere Regulares ad confessiones audiendas, ex eo tantum quod non sint necessarij tot Confessarij in sua Diocesi, nam si digni sunt, debent approbari, vt possint à volentibus eligi.

Sup. hoc magis late & clarè supra in Ref. 71. s. Sed quid & seqq.

## RESOL. LXXXII.

*In quadam ciuitate, mortuo Episcopo, Vicarius electus à Capitulo reuocauit licentias audiendi confessiones, quas habuerant Regulares, volens illos non examinari subicere, quæserunt à me, an licite hoc fecerit: Ex p. 8. tr. 7. & Milc. Ref. 94.*

§. 1. **E**T respondi negatiuè cum Francisco Doro in *consil. Regul. resol. 36. q. 4. n. 24.* quia, ait ille, ista reuocatio conceditur futuro Episcopo, in cuius locum non succedit Capitulum, sed in locum præmortui; ergo neque in reuocatione. Tum, quia id conceditur pro tranquillitate, & quiete conscientie futuri Episcopi, quod signum est hanc concessionem iterum examinandi Confessarios Regulares non respicere Sedem vt sic, sed personam de factò sedentem; in Sede autem Episcopali non potest sedere Capitulum, cum non habeat dignitatem Episcopalem, præterquam quòd non esset Capitulum Sedis vacantis. Tum, quia iterum examinare est quid odiosum, & pertinens ad potestatem delegatam à Sede Apostolica respectu Regularium, vt notum est, cum Regulares sint exempti ab Episcopo, & multo magis à Capitulo, sed hoc non succedit Episcopo in iis, quæ illi competunt iure delegato, vt ex Feder. de Senis *consil. 30. Abbate, in cap. cum olim, de maior.* & aliis allegatis docet Quar. *art. initio additionis*, & ratio est, quia iam non agerent vices Episcopi mortui, sed Papæ delegantis, vt dicit Gemin. *in cap. vnic. de maior. in 6.* ergo non potest eos iterum examinare. Non est igitur audiendus Marchinus de bello diuino, *part. 5. cap. 4. num. 15.* Vide Lugum de Sacrament. *Penitent. disp. 2.1. sect. 3. §. 1. n. 62.* Et idèd nostram sententiam præter Bordonum tenet in terminis noster P. Debellis in doctissima allegatione Hispano idiomate conscripta *part. 1. assumpt. 2. n. 1. & 2.* vbi clarè probat Vicarium Sede vacante non habere potestatem suspendendi Regulares à munere confessiones audiendi.

## RESOL. LXXXIII.

*An Regulares approbati in vna Diocesi, si in itinere commodè non se possint presentare Ordinariis, possint confessiones audire, non repugnantibus tamen Parochis?*  
*Et an Regulares Confessarij prævio examine approbati ad audiendas confessiones in Vrbe Romæ, an egeant approbatione extra Urbem, ab alijs Ordinarijs?*  
*Et notatur, quod stante Constitutione Vrbani VIII. possunt hodie Regulares, si in aliena Diocesi inueniant subditum Diocesis, in qua fuerunt approbati, eam audire, & absoluerè, quod etiam potest quilibet Sacerdos sacularis. Ex p. 3. tr. 2. Ref. 123.*

§. 1. **E**X priuilegijs Eugenij IV. & Gregor. XIII. concessis Ordini Minorum, & Societati Iesu, vt patet apud Peregrinum in *compend. privileg. part. 1. tit. absolutio quoad seculares, §. 5.* apud Mirandam in *manuali Pralat. tom. 1. quæst. 45. art. 8.* & alios, Confessarij Concilij Tridentini, quando non possunt commodè se presentare Episcopis, quia sunt in itinere, vel alibi, possunt fidelium confessiones audire in illis locis, aut oppidis, vbi Ordinarij non existunt, non repugnantibus tamen Parochis.  
 2. Sed his priuilegijs, an sit derogatum per constitutionem Vrbani VIII. editam die 17. Septemb. 1628. quæ